



Universitätsbibliothek Paderborn

D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Orationibvs Variis, Et Ignitis aspirationum iaculis ad Deum, Deiparam
Virginem Mariam, cæterosq[ue] Sanctos - exercitijs item diuersis, tum
maximè Paßionis Dominicæ, eiusq[ue] matris, refertißimus

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1630

Pro paupertate et charitate.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45928](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45928)

latur mihi omnia, tu saltem remaneas mihi obsecro, tu me possideas vita mea, re-
fectio mea, exultatio mea, quies mea & beatitudo mea, Amen.

Pro paupertate & charitate Precatio.

O Iesu fili dulcissime virginis Mariæ, obsecro te per omnem inopiam ac pau-
peratam tuam quàm pro me in hoc miserabili exilio pati es dignatus, vt ab
omnibus rebus creatis mentem meam elonges, spiritumq; meum in te ra-
pias & stabilias, vt nihil in hoc mundo aliud quæram, quàm quod ad simplicem
nudamq; corporis & animæ sustentationem mihi necessarium fuerit: nec quic-
quam appetam vel concupiscam, nisi te Deum meum super omnia & in omnibus
diligere, ardentissimamq; charitate inseparabiliter sine fine possidere, Amen.

Pro paupertate alia Precatio.

O Iesu pauperrime, rogo te per exuberantissimam tuam pietatem, fac me
semper & vbiq; tuæ amaræ potionis atque extremæ paupertatis in Crucē
recordari, quatenus discam paucissimis & vilissimis esse contentus, nequē
delicata aut exquisita quæram cibaria, quæ magis appetitum prouocent, quàm fa-
mem extinguant. Sustineam præterea tuo exemplo libenter paupertatem, om-
niumq; rerum etiam necessariarum penuriam, ac omnia carnis oblectamenta ex
integro & perfecto corde fugiam atque detester, Amen.

Pro perfecta obedientia Precatio.

O Perlucidum Obedientiæ speculum, omniumq; virtutum forma absolutif-
sima Christe Iesu amabilissima, cum alia via ad cœlestes tuas mansiones
non perueniatur, nisi per simplicem ac perfectam mandatorum tuorum o-
bedientiam: quippe cum omnes per protoplasti rebellionem ac transgressionem
filij irasimus effecti, da mihi obsecro intellectum, vt legem tuam diu noctuq; cum
regio illo psalte Dauid scruter, ac in toto corde meo illam custodiam. Deduc me
ergo in semita mandatorum tuorum, quia ipsam volo, ipsam desidero, ad ipsam
toto affectu aspiro & anhelō. Nam qui operantur iniquitatem, & prauis suis desi-
derijs carnalibusq; concupiscentijs obediunt, longè redeunt à te, neque in vijs tuis
ambulant. Non intret in Concilium eorum anima mea Domine Deus meus qui
dicunt: *Recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus, quia contrarius es studijs no-*
stris, & via tua inique sunt.

Psal. 118.

Job 21. v. 14.

Ah pie Deus, afflictorum solamen & errantium reductor, ne in finem vsque er-
rare me sinas à te: sed iugo sanctæ obedientiæ subijce humeros meos & ceruicem
meam durissimam. Sit tibi anima mea filia Sion, cui in pace aduenias, quamq; cūna
omni benedictione eximix charitatis tuæ ingrediaris, inhabites & possideas: in
qua omnes actus meos dijudices, passiones refrenes, viresq; animæ meæ pristinae
integritati restituas, quæq; agenda & vitanda sunt edoceas. Fac me etiam verè sub-
ditum Vicarijs tuis in omnibus, quæ ad tnam spectant gloriam, & ad animæ meæ
salutem. Illumina quoque oculos meos internos, ne à sancta fide Catholica vn-
quam desciscam: aut S. Ecclesiæ instituta, Patrumq; antiquorum sanctiones des-
piciam, aut peruerforum corruptorumq; hominum persuasionebus me seduci vn-
quam permittam, Amen.

Pro